



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

21. De Miraculis S. Rimberti, corporalibus & Spiritualibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43650

quo vir mitissimus super omnes homines fuisse describitur. Aliquoties tamen sine vlllo eiusdem mansuetudinis detrimento, ita inquirendis vel discutiendis causis constans ac fixus in sua sententia mansit, ut à nemine posset in aliud deflecti. Quod autem diximus absque mansuetudinis detrimento hoc fieri, tam veraciter in illo adimpletum est, ut nil vnquam iracundiæ vel commotionis contradicentibus ostenderit, vel verbis asperis contra eos egerit; sed familiaribus colloquijs & delectabili continentia gestu, cunctis sit amabiliter executus, quicquid intendebat. De ea tamen, quæ illi inerat inflexibilitate animi, à quodam familiaritè interrogatus, quæ infra habentur exposuit. Quæcumque, inquit, agere debeo vel omittere, teu de omnibus futuris mihi euentibus, prælagiū semper capio ex visionibus Domini ac decessoris mei Ansgarij. Solet enim mihi ipse apparens in qualitate vultus sui ostendere, qualiter me immiscere debeam rebus agendis, & quicquid de illo sentio, nullam ad hoc exequendum dissimulationem facere possum.

*S. Rimb-
bertus à S.
Ansgario si-
bi apparen-
te sæpius
monetur.*

CAPVT XXI.

De Miraculis S. Rimberti, corporalibus & spiritualibus.

Fertur etiam antiquorum more Sanctorum quædam fecisse Miracula, frequenter videlicet dum iret ad Sueoniam, tempestatem maris orationibus suis sedâsse, cœci

cæci cuiusdam oculos illuminâsse per Confirmationem, quam Episcopali more cum Chrismate sacro in eodem faciebat. Sed & filium quendam Regis dicitur à dæmonio liberâsse: cui etiam affirmationi hoc astipulari videtur, quòd multis astantibus Episcopis clamor ab ore vexati sæpius sonabat: Rimbertum solum inter eos dignè commissum egisse officium, ipsūque sibi esse cruciatui auctor vocis testabatur. Sed quia nostris temporibus, vt dicit Psalmista, defecit Sanctus, & diminutæ sunt veritates à filijs hominum, nec facillè accipitur quæque ex modernis viris talia fecisse, sufficiat nos hæcenus comprobâsse, quòd hic vir Domini Sanctitatis apicem conscendit, per eas virtutum species, quas in Euangelio Dominus ad beatitudinem promerendam proponit. Beati, inquit, patiperes spiritu, &c. de octonario virtutum catalogo, quo significatur per resurrectionis gratiam spei nostræ implenda perfectio. Nec miracula illi defuerunt spiritualia, quæ etiam nunc in Ecclesia à fidelibus fieri testatur Beatus Gregorius exponens verba Domini, dicentis: Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent & benè habebunt. Sed de his singulis expositionem præ-

L

fati Do

fati Doctoris percurrere longum est & non necessarium, cum homilia hæc continens in prompto habeatur, ad quam nos Lectorem mittentes cœptum opus de vita Domni Rimberti consummare debemus.

CAPVT XXII.

S. Rimbertus constituit sibi Adalgarium in Coadiutorem & successorem.

CVi, cum iam senio grauari cœpisset, etiam continuus pedum dolor ad molestiam ei accessit: vnde apud gloriosum primò Regem HLudovicum, quo commendante Episcopatum accepit, & postea apud filios eius HLudovicum & Karolum hoc obtinuit, vt insignis vir Adalgarius, Monachus videlicet de Monasterio nouæ Corbeia, vt supra retulimus, illi præstitus, ita in adiutorium illi confirmaretur, quatinus dum sele quælibet infirmitas præpediret, in ipso haberet solatium circandi Episcopatum, Placita adeundi, & quando exigeretur in expeditionem, vel ad Palatium cum comitatu suo proficiscendi. Nec multò post electionem succedendi sibi in iplo confirmari, & per manus acceptionem hominem Regis illum fieri, & inter Consiliarios eius collocari obtinuit; assentientibus Abbate & Fratibus Monasterij eius, ac sancta Synodo hæc omnia roborante. Posthæc etiam velut expeditior à negocijs secularibus omni instantiâ coti-